

Veröffentlichungen
aus dem
Kirchenhistorischen Seminar München.

Herausgegeben

von

ALOIS KNÖPFLER,

Doktor der Theologie und der Philosophie, o. J. Professor der Kirchengeschichte
an der Universität München.

Nr. 5:

RABANI MAURI

DE INSTITUTIONE CLERICORUM LIBRI TRES.

Textum recensuit,
adnotationibus criticis et exegeticis illustravit,
introductionem atque indicem addidit

Dr. Aloisius Knoepfler.

MÜNCHEN 1900.

VERLAG DER J. J. LENTNER'SCHEN BUCHHANDLUNG.

(E. STAHL JUN.)

nostrum sacrificium; et quantum praestat insensibili sensibile, tantum praestat laus vocis humanae ex puro corde prolata inani flatui¹ tubarum et percussioni cymbalorum. Sed quia omnia in figuram contingebant illis, et nos revelata facie gloriam domini contemplantur, morem illum veterum translatum in nostra religione tanto congruentius, quanto verius observamus.

„Omnes autem festivitates pro varietate regionum², diversaque in honorem martyrum tempora ideo a viris prudentibus instituta sunt, ne forte raru congregatio populi fidem minueret in Christo. Propterea ergo dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter convenirent, et ex conspectu mutuo et fides crescat et laetitia major oriatur.“

Cap. 46.

DE FESTIVITATIBUS VETERUM, ET UNDE VEL
FESTA VEL FERIAE SINT DICTAE.

Festi autem dies in veteri lege isti fuerunt: dies azymorum et phase, quando lana plenissima abiecto fermento agnus immolabatur; dies pentecostes quo⁴ in vertice montis Sina lex data est Moysi, in quo de frugibus⁵ primi panes offerebantur propositionis⁶; dies sabbatorum⁶, in quo otia celebrabantur⁷ et in quo manna in deserto non licebat colligere; dies *Neomeniorum*; celebratio *novae lunae*. Semper autem Judaei in mensium principio, hoc est prima luna, diem festum agebant; sed idcirco in

¹ Isid. l. c. sub fin. ² Isid. Etym. VI, 18.

³ sic h o a flatu — percussione. ⁴ sic h o a religionum
⁵ om MPP¹. ⁶ qua oe. ⁷ novis frug. J. ⁸ sabbat. est PP¹. ⁹ pro
positionis — celebrabantur om M. celebrantur PP¹.

principio mensis hoc faciebant, quia deficiente luna tempus finitur et iterum nascente incipitur. *Dies autem tubarum septimi mensis principium est, quando Judaei solemnitatem agentes amplius tuba canebant, et plura offerebant in eo sacrificia, quam per singulos menses. In hoc mense, id est decimo¹ die mensis huius dies propitiationum sive expiationum erat, quando pontifex semel in anno introibat in sancta sanctorum² et expiabat aspersione sanguinis sancta et sancta sanctorum³, et populo foris orante ipse solus intus orabat tam pro sua quam pro⁴ populi ignorantia offerens incensum domino super altare thymiamatis. In quo mense et dies erant celeberrimi scenopegiae⁵, id est tabernaculorum, quando a quintodecimo die mensis huius per septem dies in umbraculis habitabant, sumentes sibi spatulas palmarum et ramos ligni densarum frondium et salices de torrente et laetabantur coram domino deo suo in commemorationem⁶ exitus illorum de Aegypto, quod⁷ dominus eos in tabernaculis habitare fecerit, cum eduxerit⁸ eos de terra Aegypti. Dies autem⁹ ieiunii primi⁹, quarti, septimi et decimi mensis ob eas causas celebres apud eos fuerunt, ob quas supra commemoravimus, cum de ieiunio disputabamus.*

Festi autem dies inde vocantur, quod ius in eis fatur, id est dicitur^c, nefasti, quibus non dicitur. Similiter et feriae a fando^a dicuntur; ob quam causam Silvester papa primus apud Romanos constituit, ut dierum nomina, quae

^a Hebr. IX, 12. ^b III. Esd. V, 51. Levit. XXIII, 40 — 43.
^c Isid., Different. lit. F. Beda, de division. temp. s. v. feria, et de ration. temp. cap. 6. l. c. t. I. p. 93; t. II. p. 55.

¹ decima MPP¹. ² et expiabat — sanctorum om. oe. ³ om. oe.
⁴ commemoratione hP¹. ⁵ quia h. ⁶ educeret h. ⁷ om. oe. ⁸ om. MPP¹,
eccontra exhibet M: quarti, quinti, sept.

antea secundum nomina deorum suorum vocabant, id est: Solis, Lunae, Martis, Mercurii, Jovis¹, Veneris, Saturni, ferias deinceps vocarent, id est²: prima feria, secunda feria, tertia feria, quarta feria, quinta feria, sexta feria, quia in principio Genesis scriptum est, quod deus per singulos dies dixerit, id est prima: fiat lux, secunda: fiat firmamentum, tertia: producat terra herbam virentem, similiter et cetera. Sabbatum autem antiquo legis vocabulo vocare³ praecepit, et primam feriam diem dominicam, eo quod dominus in illa resurrexit. Statuit autem idem papa, ut otium sabbati magis in diem dominicam transferretur, ut ea die a terrenis operibus ad laudandum deum vacaremus, iuxta illud quod scriptum est⁴: *Vacate et videte, quoniam ego sum deus.* Secundum hunc autem morem in natalitiis sanctorum vacare, id est ad laudes dei celebrandas sancta nos inbet ecclesia. Ceterum qui his diebus ad hoc vacare vult ab agricultura, ut crapulae et ebrietati deserviat vel locis inanibus operam det, agnoscat, se magis peccare per tale otium, quam si alicui⁵ utili operi insisteret Salomone adtestante⁶ qui ait⁷: *Vae illis, qui morantur in vino et stulent calicibus epotandis*; et item⁸: *Acceptus, inquit, est⁹ regi minister intellegens, iracundiam eius¹ inutilis sustinebit.* Sed quia de festivitatibus celebrioribus ad instructionem eorum, qui in ecclesia deo serviunt et populo praesunt, secundum sensum maiorum iam supra diximus, de origine quoque cantus et lectionum et auctoritate symboli adhuc in praesenti libro dicamus.

¹ Ps. XLV, 11. ² Prov. XXIII, 30. ³ Prov. XIV, 35.

⁴ om. oe. ⁵ id est om. oe. exc. h. ⁶ vocari h. ⁷ aliquo MPP.
⁸ teste oe. ⁹ est intellegens oe. et c. ¹⁰ om. oe. exc. h.